

4929

DISSE^TRATI^O IN AVGVRALIS
MEDICO-CHIRVRGICA

DE

CAVTERIIS ACTVALIBVS

SEV

DE IGNE VT MEDICAMENTO

QVAM

CONSENSV

ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICAE GOETTINGENSIS

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINÆ AC CHIRVRGIAE

DIE XXIL SEPTEMBRIS MDCCCLXXXIV.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CHRISTOPHORVS SPIRITVS

MONTANVS.

GOETTINGAE,

TYPI^S HENN. MART. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

P/SPI



347736

VIRO

SVMME VENERANDO

J. F. WESTHOFF,

INSPECTORI MINISTERII DUCATUVM

JULIACENSIS ET MONTANI

AVVNCVLO PIE COLEND^O,


SPECIMEN HOCCE ACADEMICVM

OMNI QVA DECET OBSERVANTIA

SACRVM ESSE VOLVIT

AVCTOR

J. C. SPIRITVS.



THESES.

I.

Opium, in febribus intermittentibus, optimo successu propinatur.

II.

Venaesectio, in malo Hypochondriaco, non semper rejicienda, nam interdum conductit.

III.

Causa vera fluxus hepatici, sunt haemorrhoides intestinalis tenuium.

IV.

Injectio in urethram, in primo stadio gonorrhoeae venereoae, malum plus auget, quam minuit.

V.

Non datur virus specificus cancerosum.

VI.

Fissurae crani periculosa non sunt.

VII.

In punctione vesicae methodus Msr. FLEURANT, reliquis, anteponenda est.

VIII.


Vterum, fibris muscularibus instructum esse, contendeo.


IX.

Mammarum inflammatio, in suppurationem tendens, non facile, & cito, ense aperienda.

X.

Lienis vulnera magna, per se sunt lethalia.







§. I.

Inter antiquissima quae exstant medicamenta, sine dubio & ignem, ejusque in corpus humanum applicationem, numerare possumus. Veteres, quorum tota medicina paucarum herbarum scientia erat, saepissime tamen ignem, variis in morbis, adhibuerunt. Omnes fere gentes, qui aliquo modo medicinae operam navarunt, igne, ut medicamento efficacissimo, pertinacissimos morbos sanarunt.

Unica fere Japonum & Sinensium medicina est ustio ; quae maxa instituitur, cujus ope gravissimis morbis medentur. Aegyptios varias corporis regiones ad morbos abigendos inussisse, Prosper Alpinus a) hisce verbis narrat : „*Homines inquit ibi quasi infinitos licet spectare, quibus, ex cicatricibus multos partes inustas fuisse, certo conjicitur*“

a) De medicina Aegyptiorum pag. 97.

A



citur, siquidem permulti capit is partes sinciput, occiput, aliasque pericranii, non minus tempora, post autem collum, pectus, latera, Hypochondria sub umbilicum, spinam dor si, articulosque vel brachiorum, vel manuum, vel crurum, vel pedum, inustos fuisse ignis relictae cicatrices, facile ac certo significant. HIPPOCRATES b) de scytis refert: eos propter humiditatem & mollitiem, varias corporis partes inure. Idem usum ignis ipse magni fecit, ait enim: c) quaecunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quae ferrum non sanat, ignis sanat, quae ignis non sanat ea incurabilia putare oportet. Equites Arabici, atque alii, loca deserta inhabitantes, secundum PROSPER ALPINVM multos morbos igne sanant, quia aliis remediis destituti sunt. CORNELIUS CELSVS d) de coxarum morbis agens, exulcerationem super coxam, ferro caudenti factam, tamquam ultimum & antiquissimum medicamentum commendat. Vstio inquit GALENVS: e) ex his praesidiis est, quod totam ejus, quod infestat, substantiam exinanient. AETIVS f) in morbis articulorum ustionem etiam commendat, & igni inter efficacissima medicamenta locum dedit. Quae testimonia sufficient ad auctoritatem ignis, quam habuit apud veteres, probandum.

§. II.

Ab iis temporibus, nunquam haec ratio igue morbis medendi neglecta, quid quod! semper magis magisque exulta est. Recentiores medici, tamen auctoritate veterum, quam ipsa experientia, persuasi, ignem quoque pro medicamento valde efficaci habuerunt, eumque semper in morbis, qui nullo alio medicamento cedere voluerunt, in usum vocarunt. Sufficit hoc loco modo illustr. POU-

TEAU

b) De aere & locis in homine pag. 268. edit. FOESII,

c) Aphorism. Sect. 8. Aphor. 8,

d) De medicina L. V. p. 236.

e) Lib. 13. Cap. 6.

f) Lib. 12.

3

POUTEAU nominare, qui pertinacissimos morbus cylindris suis igneis facilius quamullo alio medicamento sanavit.

§. III.

Quod vero fatum cuilibet, quamvis optimo medicamento contigit, & huic, ut laudetur ab his, culpetur ab illis. Fuerunt nempe semper qui usum ignis, eiusque in corpus humanum applicationem, inutilem & periculosum declararunt, eunque e medicina proscribere voluerunt. Multi ob dolores ex ustione orientes, & ob aspectum ferramenti Cudentis terrificum, semper hanc methodum morbis medendi abhorruerunt, & ad alia remedia, quamvis igne multo inefficacia ora confugerunt. Eamque ab caussam & Romani, Archagatum medicum perillustrem, qui saepe ferrum & ignem in usum traxit, valde vituperarunt, quem tamen antea variis beneficiis accumulaverant. Quotidie adhuc multi inveniuntur, qui omnia morbi cujusdam gravis incommoda, omnesque dolores perferre malunt, quam dolorē minimum celerrime praetereunte in operationis cujusdam pati & fane-scere. Nonnulli etiam ob destructionem, quam partibus, quibus applicatur infert, rejecerunt, dicentes, mala est medicina quae de sano aliquid demit. Hoc vero opprobrium in iugem minus quam in alia medicamenta cadit. Plurimae enim operationes chirurgicae de sano aliquid deimunt. Illustr. POUTEAU^{g)} cum Severino ipsos medicos & chirurgos hanc ob rem accusat, dum ait, partim vis ignis & ejus actiones salutares cognitae eis non erant, partim iugem eam ob cautam non applicarunt, quia aegrotis ob dolores ex applicatione ignis orientes displicere haud voluerunt. Ferrum candeus aspectu quidem terribile, dolorem vero, quem efficit, non tam vehementem esse, ut videtur, experientia docti scimus. Destruit enim partes ita, ut dolor vix sentiri possit, nisi sub ipsa applicatione, quae vero in uno splen-drumque

g) Melanges de chirurgie pag. 17. (ed. 1761, 3. édition)



rumque momento peragitur. Raro etiam ferrum caudeus adhibetur necesse est, plerunque enim alia cauteria actualia quae ferro carenti multo efficacia sunt, & minori dolore applicari possunt; majore in praestant usum.

Quid, quod! si etiam ignis applicatio dolores quosdam excitet, minime tamen e medicina proscribenda est, nam operatio quaevis dolores efficit. Saepissime ignis applicatione morbi sanantur, qui dolores secum ducunt, ad quem dolor iste, quem adustio efficit ne comparandus quidem est. Sic BOSE h) inter reliqua ait medicamenta, quae propter morbi (arthritidis, nempe & rheumatismi) pertinaciam, copiosa saepe incassa adhibentur ustionis periculum varius fecellit. Minime igitur, ubi morbus pertinax est, & medicamentis aliis cedere non vult, ignis usus negligendus est, nam HIPPOCRATES, i) ad extremos inquit morbos, extrema medicamenta optima.

DE ACTIONE IGNIS VARIA IN CORPUS HUMANUM.

§. IV.

Sicuti plurima eaque efficacissima medicamenta, ita & ignis, non uno eodemque sed vario modo in corpus humanum agit, & ad abigendos morbos non una solum virtute sed variis praeditus est, quarum quidem praecipuae, sequentes mihi esse videntur.

§. V.

i) Ignis destruendo agit. Omnibus fere remediis, quibus utimur, in morbis, ad partes quasdam cordoris humani destruendas, & quae cauteria potentialia nominantur, ignis seu cauterium actuale pal-

mam.

h) Progr. de ustione in rheumatismo & arthrite.

i) Aphorism. Sect. I, Aphor. 6.

mam praeripit. Ignis enim aliis multo vehementior, celerior & securior agit, & dolor quem efficit ne comparandus cum illo quidem quem cauteria potentialia post se trahunt. Tota enim operatio hoc modo igue instituta, unico momento peragitur, cum e contrario cauteria potentialia per longum temporis spatium corpori insidere debeant priusquam actionem expectatam praestant. Si igitur in variis morbis partes quaedam destruendae sunt, ad ignem prae reliquis confugiendum est. Neminem e. g. fugit quantum emolumentum ferrum candens in carie ossium producit, dum a chirurgo ad os corruptum applicetur. Destruit partes osseas carie arrosas, & separationem eorum hoc modo efficit. Ad sistendas haemorrhagias saepissime usus ferramenti caudentis requiritur, nam per ejus applicationem partes quaedam arteriae, e qua sanguis profluit destruuntur, & eschara eae inducitur talique modo sanguinis profluviū impeditur. Sed de morbis ubi ferramentum candens, ad partes quasdam corporis humani destruendas adhibetur infra agendum erit.

§. VI.

2) Irritamentum, quod ignis in parte qua applicatur producit, tanquam altera ejus actio considerandum est. Irritatio enim attrahit, & unam irritationem alteram tollere, e multis phaenomenis, medico obvenientibus perspicitur. Actiones magnae ac certo mirabiles emeticorum in variis morbis spasticis, nulla ratione explicare valimus, quam quod ventriculum, irritatione quasi convulsiva afficiant & hoc modo istas irritationes quae nervis inhaerent auferant. Eodem modo & multi medicorum de actione vesicatoriorum in morbis inflammatoriis topicis judicant, quotidie quoque videmus dolorem minorem a superveniente majori tolli. Quae cum ita sint, ab igne haec actio eo magis expectanda, quia si rite applicetur pro irritamento vehementissimo habendus est. Si hunc finem per ignem assequi voluimus, eo modo applicandus est ut aegroto dolores exinde orientes tamen sensibiles reddantur, quantum fieri possit. Ferrum caudens igitur non adhi-



adhibendum ubi de irritatione uestionis auxilium requiritur, nam actio ejus subitanea valde sensibilis non est. Optime hic utimur cylindris e moxa seu gossypio paratis, vel pyramide e pulvere pyrio. Hoc modo multi artis periti igne fere semper, bono successu, in doloribus rheumaticis & arthriticis usi sunt. Illustrissimus RICHTER etiam eam ob causam in präelectionibus suis therapeuticis, ubi de fonticulis in doloribus rheumaticis agit, eos tam sensibiles facere monuit quam fieri possit, & ad hunc finem præsertim cylindros igneos commendavit.

S. VII.

3) Ignis vi quoque gaudet exsiccante, cuius ope saepissime gravissimi morbi sanati sunt. Calor enim absorbet, exsiccat, & liberat hoc modo partes quibus applicatur a humoribus superfluis, nocentibus, putridis, acribus. Hac ratione ipsis saepe ulcera vetusta, ac pertinacia, omnia alia medicamenta aspernentia sanavit. Illustr. RICHTER, k) carbones candeentes, aliqua distantia ulceribus superimpone re commendat, quae vero operatio per quadrantem horae continua nda est, necesse etiam est ut carbones semper afflentur, & ulceri tam prope admoveantur ut aeger dolorem quemdam leuem sentiat. Huic remedio ulcera pertinacissima cedere, ipse in nosocomio quod dirigit illustrissimus RICHTER vidi. Eodem modo & specula ustoria agunt, quorum ope radii solis colliguntur, & sic ulceri inducuntur, ut aeger calorem jucundum sentiat. FAURE l) hoc remedio cancerum occultum sanavit, commendat etiam in contusionibus, pernionibus, panaritio, tumoribus cysticis, aliisque morbis,

S. VIII.

k) Aufangsgründe der Wundärzneykunst, Capitel von den Geschwüren, pag. 57.

l) Memoires de l'academie de chirurgie Tom 3. RICHTERS chirurgische Bibliothek 3ter Band I Stück, pag. 57.

§. VIII.

4) Alia actio ignis, valde efficax, in eo consistit, ut ignis humores acres in corpore stagnantes, causas multorum malorum rarefaciat, attenuet, eosque in circulum sanguinis inducat, ut postea per vias secretorias e corpore eliminantur. Ignem hac vi praecipue gaudere, facile videre possumus, si usum ejus quem praefstat in doloribus arthriticis & rheumaticis fixis ante oculos nobis ponamus. Si materies rheumatica semper in uno eodemque loco haeret, ibidemque dolores excitat, morbus plerumque igne facile tollitur. Si vero materies ista vaga est & mox hoc mox alio loco aegrum vexat, ignis applicatio minorem promittit usum, quia materies morbosa non tam diu uno eodemque loco permanet, ut ignis actiones praedictas in illam exserere posset. Eam ob causam & necesse est ignem accurate in locum affectum applicare. Ad hunc finem igne attingendum cylindri ignei, loco affecto, superimpositi ferramento carenti, longe anteponendi sunt. Hi enim sensim sensimque agunt, & quia eorum actio uon tam subitanea est, quam ferramenti carentis, hostem quocum eis res est eo facilius profligare possunt.

§. IX.

5) Ignis in loco applicationis escharam producit, quae unguentibus emollientibus oblinita separatur, & postea in ipso loco suppuration copiosa oritur. Ope huius suppurationis, particulae acres, nocentes, varios morbos excitantes, e corpore educentur. & hac ratione ignis ut fonticulis agit. Eam suppurationem multum conducere ad mediam, CELVS m) sequentibus verbis monet: *Cum vero, ait, saepe aliquis exulcerandum carenti ferramento sit, ut materies inutilis evocetur, illud perpetuum est, non ut primum fieri possit ulcera sanare sed ea trahi*

^{m)} De medicina Lib. 4, Cap. 22, pag. 236.



here, donec id vitium cui per haec opitulamur conquiescat. POUTEAU suppurationem ignis applicationem subsequente in utilissimam esse contendit, exitum enim, inquit, partibus, scribus, nocentibus ad quas ignis actio non penetraverit parat, & quae in circulum sanguinis nondum receptae sunt eamque ob caussam per vias secretorias, sueto modo, eliminari haud possunt.

§. X.

6) Non solum vero ignis vim suam salutarem in fluida exserit, sed & solida vario modo afficit, eoque multas actiones salutares in corpore producit, praecipue si sensim sensimque, seu ut verbo dicam, si forma cylindri ignei applicatur. Ignis enim firmat partes, eamque ob caussam quam medicamentum roborans considerandum est. Troporem atque atoniam vasorum, omniumque aliarum partium tollit & vigorem eis inducit, ita ut partes acres, stagnantes, eo melius dissipari, propelli, atque e corpore eliminari possint, quam ob rem & Aegyptii articulorum laxitatem vel debilitatem, ustione corrigunt, roburque illis conciliant.

§. XI.

Si varias has ignis actiones ante oculos nobis ponimus, facile etiam phaenomena post eius applicationem in corpore contingentia explicare nobis possumus, & tunc deum elucet, cur mox statim post applicationem, mox vero post aliquot tempus ignis usus percipitur.

§. XII.

Saepe enim ignis quam celerrime agit, & si e. g. in dolore rheumatico applicetur dolor paulo post applicationem vel remittit

tit

tit vel plane desinit. Tunc verisimile est, ignem praesertim ope irritationis agere, ita, ut unus dolor, alterum dolorem tollat.

§. XIII.

Interdum dolor tertio aut quarto circiter die, sensim sensimque remittit. Tunc praesertim ignis morbum profligat, solidam roborando, & nuda acria, stagnantia, attenuando, eaque in circulum sanguinis introducendo.

§. XIV.

Interdum vero dolor non prius cessat, quam post separationem escharae a loco inustionis; & postquam magna puris copia ex ulcere, ab ustione, orto, egressa est. Tunc ignis praesertim eo modo morbum sanat, ut materiei morbosae exitum det, per quem e corpore emoveatur.

DE VARIO MODO IGNEM IN CORPUS HUMANUM APPLICANDI.

§. XV.

Variae, ignem in corpus humanum applicandi sunt viae, variique modi. Hodiernis temporibus praecipue inuritur, ferramento candenti, turundis e moxa seu gossypio, pulvere pyro, carbonibus ignis, & interdum etiam speculis istoriis; de quibus omnibus infra agendum erit.

§. XVI.

Veteres, cum praecipue artem igne medendi magni habuerunt,
B. varlis



variis praeterea alijs modis corpus inusserunt, quorum quidem prae-
cipui sequentes sunt.

HIPPOCRATES, & omnes fere veteres, lino crudo usi sunt ad par-
tes corporis humani adurendas. Si in digitis ait HIPPOCRATES n) do-
lor remanet venas in digito paulum supra articuli nodum inurito, ustio
autem per linum crudum fiat. Porro divus ille medicinae pater, fun-
gis ad ustionem usus est, inquit enim: o) urendae sunt partes carnosae
ferramento, ossae vero & carnosae, fungis. Idei nonnunquam fusis
buxeis usit p) per buxeos autem fusos, ait, oleo ferventi intinctor urito,
eosque donec rectum habuerit, ustioque perfecta fuerit, admoveto.

TEN RHYNE q) Plinium allegat dicente: cum caprino fimo
fervente, ischiaticos sub pollicibus pedum uriri, aliquos utilissime tradi-
disse. Idei de imperatore Augusto narrat, solitum illum fuisse, te-
ste Suetonio, crura nuce candenti suburere.

Veteres porro radicibus strutii & aristolochiae usisse TEN RHY-
NE hisce verbis testat: „Aetius vero ex Archigene, cum strutii &
Aristolochiae incensa radice inurendum injungit. Oleo praetera vel aqua
servente, fimo caprino, radicibus asphodeli, teste illustrissimo Pou-
TEAU, r) ad inurendum usi sunt. Lappones ligno putrido urere Lin-
naeus refert.

§. XVII.

n) Lib. de affectionibus Sect. V. pag. 539.

o) Lib. de affect. intern. pag. 563.

p) L. C. 537.

q) Dissertatio de arthritide pag. 105.

r) Melanges de chirurgie pag. 13.

§. XVII.

De ferramento caudenti.

Cum ab incunabulis medicinae ignis usus medicis semper caudae cordique fuerit; ferrum candens pro simplicissimo, immo multis in casibus, optimo instrumento ad ignem adPLICANDUM habuerunt, quod quidem satis scriptis eorum elucet. Semper enim, ubi de uestione sermo est, ferramenti caudentis mentionem faciunt, etsi, uti jam antea dictum est, aliae viae, aliaeque rationes ignem applicandi eis incognitae non fuerunt. Eam ob caussam veteres chirurgi, ferramenta seu cauteria multa, eaque variis formis instructa, habuerunt, ut pro ratione vulneris, id semper applicare possent, cujus figura vulneri quam simillima esset.) Cuius vero a recentioribus chirurgis, instrumentorum numerus, tantum imminutus est, quantum fieri potuerit, ita & ista cauteria, variis figuris seu formis praedita, partim ex usu venerunt.

Quamvis vero hoc instrumentum, hodiernis temporibus, non tam saepe, quam antea in usum vocatur, quia alii modi ignem applicandi, multis in casibus, locum ejus occuparunt, qui, partim maiorem usum promittunt, dolores tam atroces non excitant, & aspectum terrificum, quem ferrum candens exhibet, prae se non ferunt; saepissime tamen eo carere non possumus, & interdum necessario adhibendum est. Multi enim casus medico sese repraesentant, ubi alia cauteria actualia, actionem istam praestare non possunt, quae a ferro ignito expectanda est. Usum quem applicatio ferramenti caudentis in morbis quibusdam chirurgicis e. g. in carie, in haemorrhagiis

B. 2

) HEISTERI chirurgia tabul. 3. SCULTETI armamentarium tabula 19.
pag. 46. Appendix ad armamentar. chirurgic. a LANZWEERDE
Tab. I. pag. 4.



rhagiis sistendis, post se trahit, nemo in dubium vocabit. Sed de morbis in quibus ferramentum candens p̄ae reliquis conducit, infra agendum erit.

§. XVIII.

De moxa.

Qui p̄ae reliquis moxa utuntur ad ignem applicandum, Japones sunt atque Sinenses. Eos frequentissime moxa ura TEN RHYNE t) refert, quippe qui ait: *haud fruſtra integrā fere Japoniae tellurem, artemisia, induſtrio quaſi labore, ubi tamen copioſe admodum & luxuriōſe crescit, consitam videmus, nam hoc eſt unicūm eorum in plerique morbis asylium, haec eſt tutiſſima & praetioſiſſima in omni doloriſ genere panacea, uſus ejus cuivis Japonum innotescit.*

Planta, e qua Japones & Sinenses moxam conficiunt, eſt artemisia vulgaris Linnaei. Quae postquam in umbra ſiccata eſt, folia & ſuperior ejus pars continduntur, & inter manibus conteruntur, ita, ut fiat mollugo; ſic Illuſtr. MURRAY deſcribit. u) Folia per longum temporis ſpatium, imo per annos, in umbra exſiccari debere, BoſE x) reſert. Cui & UNZER y) aſtentit. Magnates Sinenſium artemiſiae nonnunquam & Moſchum ſeu pulverem ligni aloes addant, ad gratum odorem conciliandum. Haec lanugo artemiſialis, postquam a parti- bus omnibus diris & impuris depurgata eſt, a Sinenſibus & Japonibus ſequenti modo aptatur. Rotant eam ſub manibus in conuim baſi latiore & apice anguſtiore, ita ut fiat pyramis parva. Hanc poſtea ſaliva cuti affixam, ope virgulae e ligno aloes incendunt. Nonnulli etiam admoxiam

t) Libro citato pag. 96.

u) Apparatus medicaminum Tom. I. pag. 126.

x) De uſtione in rheumatismo & arthritide pag. 8.

y) Der Arzt, 4ter Theil, S. 648.

ad moxam incendendam, bacillis utuntur, qui constant ex variis aro-
matibus, e.g. cortice lauri, pulvere Agallochi, &c. cum aqua in pa-
stam redactis, & per cribrum in baccillos formatis. Ignis nunc sen-
sim sensimque moxam consumit, qua consumita, escharam in cute
relinquit.

S. XIX.

De cylindris e gossypio.

Non solum haec ratio igne utendi antiquissima, omnibusque
gentibus cognita est, sed & hodiernis temporibus medicis ita per-
placuit, ut quam tutissimam & optimam viam, ignem applicandi, ha-
buerint. Veteres jam gossypio ad iniurendum usos esse ex PROSP.
ALPINO z) apparet, qui de Aegyptiis ita loquitur: „*Non ferro,
non auro, neque alio metallo ignito, ad iniurendas partes, illi utuntur,
neque ut alii utebantur, buxeis lignis, sed gossypio Et linea panno ig-
nito, ustionem moliri consueverunt.*“ Sequenti vero modo Aegyptii tu-
rundas e gossypio secundum illustriss. MURRAY a) conficiunt. Pa-
rant e gossypio Pyramidem quam linea ligula, latitudinis trium di-
gitorum, circumvolvunt, & filo sericeo demum firmant. Ita vero il-
lam Pyramidem formant, ut in medio meatus sit, per quem talis
qua perspiratio fieri possit. Dum cutis inuritur, eam in vicinas par-
tes ferramento annulari firmant, ne inflammatio fiat.

Optimus vero modus, turundas e gossypio parandi, est ille cele-
berrimi POUTEAU, b) Figura, quam ille cylindris suis dat, non est
pyramidalis sed cylindrica. Gossypium nempe circumvolvit linea li-
gula

z) L. c. pag. 97.

a) Apparatus medicaminum Tom. 3. pag. 371.

b) Oeuvres posthumes Tom I. pag. 204.



gula, unam pollicem lata, & tres longa. Haec ligula non solum in fine, sed et hinc & inde filo lineo adsuenda est. Postea cylindrus hoc modo confectus, cultro transversum dissecatur, ita ut fiant duo cylindri ex uno. Hic cylindrus nunc cuti superimponitur, basisque ejus saliva adglutinatur, vel etiam forcipe parvulo, quem gallice pincette nominant, cuti afficitur; postea igne accenditur, & folli seu ventilabro, semper adflatur usque dum ab igne consumtus est.

Nunquam ignis hac operatione profundius penetrat, quam per cutum, et si duo vel tres cylindri ignei, eundem in locum ponantur. Dolores exinde orientes valde vehementes non sunt.

§. XX.

In loco applicationis crusta quaedam remanet, quae eschara nominatur. Ad escharam istam sensim sensimque separandam, Aegyptii medullam ossium illinunt, quod quidem PROSPER ALPINUS c) refert. Alii folia plantaginis, betae, brassicae, seu emplastra varia, e. g. diapalmae, sticticum PARACELSI &c. imponunt. POUTEAU unguentum basilicum seu digestivum commendat, quod ope filis ex linteo trito carptis, applicatur. Tali modo eschara plerumque sexto aut septimo die separatur, & suppuratio incidit. Ulcus hoc, si opus esse videtur, postea commode in fonticulum mutari potest.

§. XXI.

De ustione pulvere pyrio instituta.

Ustio pulvere pyrio dupli modo instituitur.

inter-

c) L. c. pag. 97.

a) Interdum vulnera adurenda sunt e. g. ad rabiem caninem prae-
cavendam, & nonnulli ad hunc scopum pulverem pyrium com-
mendant. Hoc casu, pulvis pyrius vulneri, prius, quantum
fieri potuerit, exsiccato, inspergitur & accenditur.

b) Si vero superficiem cutis adurere volumus, & vulnus in lo-
co ustionis non adest, sequenti modo operatio peragitur. Pul-
vis pyrius tritus, & aqua madefactus, in pyramidem parvam
formatur. (Feuer: Teufel, Sprühmängen,) Haec pyramis cuti
imponitur, & carbone ignea accenditur. Raro interea in usum
vocatur.

DE MORBIS PRAECIPVIS QUI PER IGNEM SANANTVR.

§. XXII.

Veteres ad varios morbos capitis abigendos igne saepissime usi
sunt. PROSPER ALPINVS d) de Aegyptiis ita loquitur: *Caput multis
inustionibus afficere solent, ad omnem enim affluxum vel destillationem, a
capite ad pectus, aut pulmones, urunt sinciput, verticem, occiput, ac
quod est post utramque aurem, quod etiam faciunt in antiquis lippitudi-
nibus, atque aliis diuturnis oculorum malis.* HIPPOCRATES e) de va-
riis capitis morbis agens, ustionem sequentibus verbis, quam maxime
commendat. *Caput inquit, octo crustis inurito, duabus quidem ad au-
res, duabus vero ad posteriorem capitis partem, hinc atque hinc, ad cer-
vicis initium, duabus in naribus juxta oculorum angulis.* Sequenti
vero modo ignem veteres adhibuerunt. Incisis tegumentibus externis,
ferramentum ignitum nudo crano applicaverunt; quam methodum
etiam secutus est, illustrissimi DE HAEN, aliquique. Sed ratio haec caput
aduren-

d) l. c. pag. 98.

e) De morbis pag. 455.



adurendum saepissime tristissimos effectus post se traxit, quia semper inflammatio durae matris timenda est. Eam ob causam Illustr. POUTEAU f) loco huius methodi, cylindros suos e gossypio, vertici capitatis imponendos commendat, & saepe optimo successu iis usus est, multosque morbos, praesertim amauros in saepissime hoc modo sanavit.

§. XXIII.

Ignis etiam in variis morbis pectoris, summo cum usu & emolumento, applicatus est. HIPPOCRATES g) ustionem in variis pulmonum morbis, quam optimum & extreum remedium commendat. POUTEAU h) saepissime in phthisi pulmonali, pectus cylindris igneis aduulit, & plurimis in casibus, methodus haec medendi expectationi satisfecit. Forsan hoc in casu suppuratio post ignis applicationem sequens, morbis medetur; nam quod fonticuli in phthisi pulmonari faciunt cuilibet cognitum est. Liberat quoque ignis pulmones ab acrimonia rheumatica, ad illos deposita, postea, si exanthema retrogressum, pulmones adoritur, optime per ignem profligatur, eodem modo & omnes alias acrimonias, pulmones vexantes, abigit. Si morbi isti, doloribus fixis in regione quadam pectoris juncti sunt, medicum ignem, accurate, in locum dolentem applicare oportet, ut tali modo materies morbosa eo facilius e sede sua removeatur.

§. XXIV.

In multis morbis abdominalis veteres praesertim ad ignem, remedii aliis incassum tentatis, consugerunt. Hydropem saepe igne sanata.

f) Oeuvres posthumes pag. 36. memoires sur les avantages & les inconveniens du feu, applique sur le sommet de la tete.

g) Lib. de intern. affect. Sect. V. pag. 554. de morbis Lib. 2. Sect. V. pag. 478.

h) Oeuvr. posthum. pag. 313. seq.

sanarunt. PLATTNER i) de veteribus medicis loquens, eos, hydro-
picis ventrēs atque pectora, ferramentis carentibūs, pluribus locis
adūsse, & ulcera, exinde orta, per longum temporis spatium servasse,
ait. HIPPOCRATES ustionem in morbis renum k), & lienis l) praecipue
commendat. TEN RHYNE m) de ustionibūs Japonum agens,
eos in Tympanitide, Hydrope, & scrotocele, qui morbus eis ende-
mius est, ignem in usum vocare, & Lusitanios in doloribus colicis
urere refert.

§. XXV.

In apoplexia, ignis applicatio etiam usum promittit, praesertim
ubi homines adeo hoc morbo correpti sunt, ut aliis medicamentis
consuetis resuscitari non possint. Hoc loco ignis, quam medicamen-
tum valde stimulans, est considerandum. Nonnulli in apoplexia,
ferramento carenti occiput adurunt; alii inter primam & secundam
cervicis vertebram, alii etiam in planta pedum applicandum esse con-
tendunt. Scultetus n) praecipue ustionem contra apoplexiā, in in-
fantibus, nuperrime natis, & pueris lactantibus, commendat, quos
apoplexia frequentissime infestat, ob eorum cerebri temperiem frigi-
dam & humidam, eamque ob causam & ignem occipiti applicat.

§. XXVI.

Eodem modo & multi in epilepsia corpus igne adusserunt.

LANZ.

i) Institutiones chirurgiae, editio KRAUSII §. 935.

k) De intern. affect. Sect. V. pag. 563.

l) L. c. pag. 576.

m) Dissert. de arthritide pag. 130.

n) Armamentarium chirurgicum pag. 131.



LANZWEERDE o) gravem epilepsiam ferro ignito sanataui esse refert. Post operationem, in vertice capitis institutam, per aliquot menses serum ichorosum effluxit, & aegrotus postea imminis mansit ab insul-
tu epileptico.

§. XXVII.

Paralysis, saepissime medicamentis medetur, quae, si parti af-
fectae applicantur, valde eam stimulant, & stimulando, influxum
fluidi nervi, quasi in membrum paralyticum, vi quadam inducunt.
Medicamenta sueta, quae hoc in casu in usum vocantur, sunt vesica-
toria, sinapisimi, Linimenta nervina, urticatio, & praecipue etiam
ustio. Veteres jam ad hunc morbum pertinacem tollendum, igne
usos esse PROSPER ALPINUS p) refert; eodem modo & MEZA q)
POUTEAU, aliquique, ustionem hoc in morbo commendant. Si vero ig-
nis in Paralysi applicatur, cylindrus igneus aliis cauteriis praferen-
dus est.

Simili modo & amaurosis saepe per ignem sanatur, quippe qui
morbis nihil aliud est, quam Paralysis nervi optici & tunicae reti-
nae.

§. XXVIII.

Morbi, in quibus ignis prae reliquis fere semper effectus salu-
tares praestat, sunt rheumatismus & arthritis. A vetertimis tempori-
bus, medici semper ignem in his morbis, praesertim vero in dolo-
ribus

o) Appendix ad armamentarium chirurgic. pag. 240.

p) L. c. pag. 98.

q) Compendium medico practicum, Fasc. 3. pag. 25.

ribus rheumaticis adhibuerunt. Superfluum iudico, hoc loco multa e scriptis veterum allegare, cum quisque fere autor ignem hoc in morbo commendat; praesertim vero HIPPOCRATES, CELSUS, PROSPER ALPINUS, POUTEAU, aliique. Si morbus nullo alio remedio cedit, per ignis applicationem saepissime feliciter prosligatus est. Iapones & Sinenses unica moxa omnes dolores cujuscunque generis, praecipue vero rheumaticos, & arthriticos, vincunt. Hoc in casu quoque cylindri e gossypio, quibus POUTEAU saepe felicissimo successu usus est, ferramento candenti longe anteponendi sunt. In eorum vero applicatione, ad sequentes res spectandum est.

- 1) Quia aegroti, periculum iniunctionis semper invito animo ineunt, prius alia medicamenta tentanda sunt, quae vero, si morbum nullo modo tollunt, ad ignem confugiendum est.
- 2) Cylindrus igneus loco dolenti accurate imponendus est, secundum monitum HIPPOCRATIS, *ubi dolor incubuerit, urito.* Pro re nata saepe etiam repetitio operationis requiritur.
- 3) Tunc praesertim ab igne auxilium expectandum est, si dolores fixi sunt, temperque eundem locum occupant; si vero dolores vagi, mox in hoc, mox in illo, loco, sedem suam occupant, nil per operationem igne institutam assequitur, quam quod dolores ex una parte, in alteram propellantur.
- 4) In arthrite vera seu podagra, secundum POUTEAU r) ignis effectum illum non praestat, qui in rheumatismo ab ejus applicatione expectandus est. Ignis eam ob causam tunc modo in doloribus arthriticis applicandus est, si materies arthritica, sede sua

r) Oeuvres posthumes Tom I. pag. 265, 266.



sua pristina relicta, partem quandam internam nobiliorem afficiat.

§. XXIX.

Non minus ustio, ad praecavendum dirum illum morbum, Hydrophobiam, post morsum canis rabidi conducit. Hoc casu in eo cardo vertitur, ut virus, quod primo tempore adhuc in ambitu vulneris situm s) nondumque in circulum sanguinis resorbtum est, evacuetur. Eam ob causam, talia medicamenta adhibenda sunt, quae virus partim destruunt, partim e vulnere eluunt. Indicationi primae, virus nempe destruendum, praे reliquis ustio satisfacit, quam ob rem etiam hoc casu a plurimis in usum vocatur. CELSUS jam in rabie canina adustionem suadet t). VOGEL u) ignem quoque quam maxime commendat, quibus & MEZA x) aliique assentunt. Illustris RICHTER praceptor meus, ad cineres usque colendus, praे reliquis quoque hocce medicamentum in hydrophobia magni facit. Sequenti vero modo ignis applicatur: Vulnus, aqua prius in qua pauxillum Θis solutum est, eluitur, postea ferro inciditur, & cucurbitulae, ad virus simul cum sanguine extrahendum, imponuntur. Hisce peractis, vultur aduritur, quae vero adustio, ad virus in ambitu vulneris, tantum quantum fieri possit, destruendum, penitus in carnem descendere debet. Plurimi hoc casu ferramento carenti utuntur: cum vero semper aegrotum terrore afficiat, etiamque omnes anfractus vulneris non facile ab eo contingantur, nonnulli pulverem pyrium commendant, quem

s) Cullen Aufangsgründe der practischen Arzneywissenschaft, 3ter Theil

S. 316.

t) De medicina Lib. 5. pag. 307.

u) De cognoscendis & curandis morbis pag. 77.

x) Compendium medico practicum Fasc. 3. pag. 60.

quem vulneri inspergunt, & postea accendunt ; quae vero operatio saepe repetenda est.

§. XXX.

Multi etiam ustionem in scirrhis, ulceribus malignis, quid quod ! in ipso cancro, commendant. (PROSPER ALPINVS y) scirrhos (principue scirrhos e crasso phlegmate obortos) ope ignis sanari posse contendit, cui & HEISTER assentit, sed ulcera cancerosa non nisi in principio, ubi neque occulti neque magni tumores sint. PLATTNER z) ustionem in hisce morbis dissuadet, dicens : *mala ulcera & sarcomata atque carcinomata, igne haud tuto curantur, si altiores egerunt radices ; quae potius igne concitantur.* Solummodo vero hoc loco, de immediata ignis applicatione, ad locum affectum, sermo est. Nam quod ulcera varia, saepissime modico calore, e. g. calore carbonum ignitorum, seu speculorum ustiorum, sanentur, jam antea §. 7. dictum est.

§. XXXI.

In carie etiam ab applicatione ignis, ad os affectum, semper salutares effectus sunt expectandi. Secundum PLATTNERVM a) ignis usus tunc praeferit conductum, si caries humida est, & sedem suam in ossibus fistulatis, duris, habet. Ut vero terrum candens commode ad os applicari possit, necesse est, ut ostium vulneris, amplitudinem decentem habeat. Quam ob rem, ubi ostium ulceris, seu vulneris, nimis angustum, ferro dilatandum est. Nonnulli etiam, ad hunc finem conqueudum, radicem Gentianae, seu spongiam praeparatam

C 3

vulne-

y) Lib. cit. pag. 101.

z) L. cit. p. 935.

a) Libr. citat. §. 1063.



vulneri immittunt. Deinde necesse est ut vulnus, quantum fieri possit, exsicetur, ne aestus ferramenti carentis, per humores in vulnere praesentes, inminuetur, & vicinae partes carnosae, a humoribus calefactis laedantur. Illustris RICHTER suadet ante operationem, os a carne fungosa, quae adest, liberare. Si caries profunde in os penetret, simili modo, ante operationem, pars superior ossis arrosae, abradenda est; ut ignis ad omne id quod in osse corruptum est, eo facilius penetrare possit. Si haec operatio in ossibus planis, sub quibus partes nobiliores sitae sunt e. g. in crano, instituitur, summa cautione opus est.

Eodem modo, & dentes cariosos optimo successu, ferramentis carentibus, adurere possumus, ut ulterius putredo & corrosio arceatur.

§. XXXII.

Ustio in anchyloſi, a tumoribus articulorum aquosis suborta, a multis quam optimum medicamentum commendata est. POUTEAU b) hoc modo multos morbos anchylogicos sanavit. In nonnullis casibus, os ita jam e fovea articulari egressum erat, ut membrum affectum, sanum, longitudine superaverit. In capitibus ossium saepe tumores magni reperti sunt, articuli nonnumquam fuerunt rigidi, & fluctuatio humorum animadverti iam potuit. Nihilominus tamen saepissime cylindri ignei, loco affecto impositi, morbum sanarunt. Si aegrotus dolores in articulo sentit, ustio semper melius procedit, quam si nulli dolores percipientur.

§. XXXIII.

Saepissime etiam Gibbos ope inustionis sanare possumus, quod praefer-

b) Oeuvres posthumes Tom. I. pag. 306. Tom. 2. pag. 2-36.

praesertim Illustri POUTEAU feliciter configit. Gibbus plerumque a depositione materiae cūjusdam acris, ad vertebras oritur. Ad hanc materiam e corpore evacuandam, optima remedia sunt ulcera artificialia, in ipso loco Gibbi exitanda. Praecipue vero hic ea ulcera artificialia conducunt, quae igne efficiuntur, quia ignis ea, quasi efficacissimo modo, excitat. Cylindrus igneus igitur loco affecto imponitur & aduritur. Suppuratio copiosa, quae postea sequitur, verisimile materiam istam acrem a corpore removet, eoque caussam gibbositas tollit.

§. XXXIV.

Ad haemorrhagias sistendas, veteres fere semper ferramento carenti usi sunt, & quamvis hodiernis temporibus, non tam saep numero quam antea, tamen multis in haemorrhagiis adhibetur. HESTER, multos chirurgos veterum, ad sistendam haemorrhagiam, ex amputatis membris, ferro carenti adussisse testatur. Sed in magnis arteriis haec operatio semper dubia, imo periculosa est. Nam eschara quae arteriae per ferrum candens obducitur, per impulsum sanguinis, in magnis arteriis valde vehementem, saepe dissolvitur, & facile nova sanguinis profusio oritur. PLATTNER igitur: etiam si, ait, *sanguis per aliquot dies conqueverit, non raro tamen crux eius impedita vincitur, ubi vero sic adusta arteriae rursus sanguinem fundunt, maximum discrimen est, quin illas non parum recedant, & nec comprimi nec alio modo praecudi queant.* In minoribus vero arteriis, usus ferramenti carentis securior est, & saepissime in chirurgia casus medico, obvii sunt, in quibus eo carere haud potest, praecipue si arteria, e qua sanguis profluit, tam profunda est sita, ut aliis medicamentis attingi non possit, e. g. in haemorrhagiis ex alveolis dentium, postea ex arteria ranina sub lingua. Illustris RICHTER etiam in praelectionibus suis chirurgicis, usum ferramenti carentis, ad illam haemorrhagiam sistendam, commendat, quae ex arteria spermatica, post operationem castratio-

nis provenit, & veterinarii in equum castratione, semper ferramentum candens optimo successu adhibent.

In applicatione vero ferramenti carentis, ad haemorrhagias fistendas, sequentes cautelae sunt observandae.

- 1) Arteria, primum, per machinam istam, quam vocant *tourniquet*, si fieri potest, comprimeuda est.
- 2) Vulnus, quantum fieri potest, prius exsiccandum, ne sub operatione partes vicinae laedantur.
- 3) Cauterium aperturæ arteriae applicatum, non cito & subito retrahendum, ne eschara simul separetur.
- 4) Eschara quoque post iustionem saepe Ω vini humectanda est.
- 5) Nonnulli etiam post operationem, sanguinis impetum, eo, impediunt; ut arteriam, e qua sanguis profluit, aliquo modo per *tourniquet* comprimant.

§. XXXV.

POUTEAU etiam aqua submersos, aliis remediis frustra tentatis, in regione ventriculi, seu sub planta pedum, igne adurere, tanquam efficacissimum remedium, commendat.

